Quod Deus T.O.M. Felix Faustumque esse jubeat,

IN PERANTIQUA EBERHARDINA, 31

Jussu & Authoritate Gratiosi Medicorum Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo,

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Phil. & Med. Doct. ac Prax. Prof. Publ. Ordinar. Consil. & Archiatr. Würtemberg.

Dn. Patrono atq; Præceptore suo omni observantiæ cultu devotissimè prosequendo,

Pro Summis & Doctoralibus in Medicina Honoribus Juribus ac Privilegiis legitimè obtinendis

POSITIONES HAS MEDICAS

Publico ac Solenni submittit Examini

FERDINANDUS GOTTLIEB Schmeltz/ Lommazia Misnicus.

Ad Diem Septembr.

IN AULA NOVA.

Horis solitis,

TUBINGÆ,

Typis GEORG-HENRICI REISI, Senioris.

ANNO M DC XC.

DEO

Et

PROXIMO,

PROMOTORIBUS

Atque

PATRONIS.



Σ. Θ.

POSITIO I.

Corpori Humano inter alias particulas naturaliter etiam Acida insunt.

PRoscribi solet *τὸ Acidum* ex corpore humano, abesse jubetur tanquam hostile, inimicum ex sententia *Recentiorum Medicorum*, qui reformationem aggressi sunt Medicinæ; sed & *Veteres*, inter causas morborum perfrequenter cruditatem acidam, pituitam acidam accusarunt, ipsique remedia opposuerunt, ut Reformatores hos solos fecisse dici non possit. Plurimi profectò morbi secundùm suas meliùs explicãtur causas, cùm ad *Recentiorum* mentem ab acido deducuntur. Quidam autem eò usque progrediuntur, ut omnium morborum causam dicant acidum, præsertim, qui sola volatilia aut alia Exotica, quæ *Tyrannus iste La mode* præscribit, ad frequentissimum imò *universalem usum Medicum* trahunt. Verùm pace singulorum dicimus, non in ventriculo solùm, cujus proprium liquorem, lympham fermentantem acidulam esse Quidam ipsorum concedunt, sed & in reliquo corpore, præsertim liquoribus naturalibus etiam particulas esse acidas, tùm, cùm in statu naturali est, non morboso. Indicia, quæ ad detegendas corporis humani particulas adhibentur, *Authoribus Modernis* potissima sunt, ipsarum ad actiones edendas, promovendas, juvandas aptitudo: Et tàm in

corpus assumi solitorum, quàm ex corpore artificiosa resolutione, disgregatione, eductorum textura. Sicut ergò particulas tartareas, oleosas, balsamicas, alcalicas, mucilaginosas, roscidas, aqueas, serosas, terrestres, &c. adesse, actiones in corpore his propriæ docent, ita & dulces, amaras, insipidas, salinas, acres inesse, itidem quotidie hîc occurrentes actiones, quas Physiologi explicant, evincunt. Quidni & acidas adesse diceremus, cùm consideramus, etiam in statu naturali requiri debitos, non nimios spirituum motus, humorum proportionatam, ex plurium non uniformium, non alcalicarum solùm mixtione crasin, justam consistentiam, solidorum robur, fibrarum tonum nec nimis laxum nec nimis tensum, blandam hîc & ibi fermentationem (quam Pauci, in ventriculo præsertim, negant) nam & ad hæc singula, cum aliis suum symbolum conferunt particulæ acidæ. Ipsis ramosioribus partim vehiculum præbent, partim viam sternunt ad ingressum in poros partiū nutriendarum faciliorem, faciunt ad applicationem illarum, aut ut Alii loquuntur, assimilationem, imò, annon & quid ipsæ ibi deponunt? Insuper quotidie assumimus sal, alia edulia, vinum, cerevisiam, &c. quæ fermentationi, aliisque separationum modis subjecta copiosas particulas acidas promunt, assumimus panem fermento instructum, imò cibos & potus per se acidos. Quis autem evincet, acorem talem planè aut in totum annihilari in corpore, aut mox in alcalicam mutari texturam? Ex sanguine, ex urina, ex aliis corporis partibus artificio Chymico acidum spiritum ingeniosus Pyrophilus eliciet. Imò, sin salis fixi quid obtinetur ex destillatione partium corporis humani (quod tamen ignis vi adscribunt plerique) ex ipso illo fixo sale destilla-

tio-

tioni ſubjecto acidus prodibit Ωus. Oleoſas particulas in corpore noſtro non negaturos Modernos, oleoſi verò baſin ſecundùm plures Authores aut, ſi non baſin, tamen ramis oleoſorum facilè & ſæpè intricatum eſſe acidum, non dicemus. Ceu ergo ex diverſarum aut contrariarum qualitatum non pugna, ſed amica harmonia & ſocio proportionato fœdere Temperamentum Quidam *Veterum* deſcripſerunt: Ita & corpus noſtrum ex valdè diverſis particulis, ſed ſub amico arcto fœdere, ſub proportionata mixtione, ſub harmonia ſuavi temperatis conſtare, ac inter has etiam acidas comprehendi aſſeveramus. Ubi verò acidum blandum, mite, ſuave amplius non eſt, ſed ſylveſtre, heterogeneum evadit, aliis prædominatur, nimis acutum eſt, ſocietate iſta modò laudata diſſoluta, Iliadem morborum prudentem Medici dextram requirentem creare, ſimul ſtatuimus.

POSITIO II.

Primum ac primarium Epilepſiæ Subjectum non eſt Cerebrum, non Principium Nervorum, non Cor, non Ventriculus, non Fovea ſepti lucidi, non Glandula Pinealis, ſed Membrana Nervea.

PRimum & primarium Epilepſiæ *Subjectum* dicendum eſt illud, *quod* Principale & Univerſale eſt, illa pars Corporis, quæ in omni Epilepſia, quæ primò ante omnes alias partes ita afficitur, ut reliquæ, quæ etiam patiuntur, ab hac affectione id patiantur, in quam cùm cauſa morbifica adæquata agit, Epilepſia producitur. Diverſi ſunt

Medici in assignando Subjecto Epilepsiæ; hinc & sequentes potissimùm nobis moveri possent *Instantiæ*. I. Cerebrum & potissimùm ejus membranas subjectũ esse, docent principum functionum à cerebro dependentium in hoc affectu detentio, & observationes Medicorum de Epilepsiâ, ipsius læsionem, à causa sive externa sive interna factam, ordinariè insequente. *Verùm* Resp. 1. Cerebri mẽbranas aliquandò Subjectum primum esse concedimus, ut ex Epilepsiæ Genesi, mox brevi exponenda, percipietur, sed non semper; si, verbi gratia, in pollice quis dolorem, vel aliam molestiam sentit, à vipera quis mordetur, quando infantes lac corruptum, aut lumbricos in ventriculo gestant, aut adulti venenum ibi reconditum nondum ultra progressum, tenent, aut Nervus punctus est mox præsente Epilepsia, quis primum & primarium subjectum diceret Cerebrum? hinc & curatio non tàm ad cerebrum, quàm ad hanc partem directa feliciter procedit. 2. Functionum principum detentio, si adest, est inter illas læsiones, quæ primam subjecti affectionem cum reliquis insequuntur. Coafficitur cerebrum, cum detinentur illæ, sed non semper primariò. 3. Ponamus, (de quo Quidam dubitant) illud semper observari de læso cerebro, saltem sequitur, in illis casibus cerebri meninges esse subjectum primarium & primum, sed non in aliis. Quæ Responsiones, quia similia de aliis in thesi non admissis partibus, objici solent & possunt, & de illis valent. II. Epilepsia referri solet à Quibusdam inter affectus soporosos, cùm sopor ipsam & comitetur & insequatur; Soporis autem Subjectum primum & primarium non est membrana nervea. Sed Respondetur: Sopor ille à pluribus Medicis effectus per nimium concussorium motum dissipatorum spirituum censetur: Etiamsi autem

pona-

ponamus contrarium, tamen non spectat ad Essentiale Epilepsiæ, quà Epilepsiæ. III. Membrana nervea doloris subjectum est: Verùm non omnis dolor Epilepsiam excitat, nec omnis Epilepsia dolorem junctum habet. At Resp. Alia est causa doloris, alia Epilepsiæ. Quantos, quàm enormes sæpè ægri ad desperationem usque patiuntur dolores, à causis tam internis quam externis, ab acerrimis sæpè etiam membranas denudatas tangentibus absque ulla tamen Epilepsia, quia nempe adversitas illa, aut acrimonia, quæ improportionatè in fibrillas agit, ipsas solvit, ipsis re a gentibus, diversa est ab illa, quæ vellicat, & in illum vertumnosum motum agit. IV. Fibrillæ potiùs nerveæ quam membrana nervea subjectum constituent. Resp. Eadem est hæc sententia cum nostra, nam modò membrana nervea fibrillas earumque plexus seu fasciculos continet, modò ipsam fibrillæ obtegunt & amplectuntur, ex ipsis fibrillis membrana constat. Cùm autem membranam nerveam dicimus, non abstractivè illam consideramus & præcisè, solùm, sed animalibus spiritibus instructam & in corpore humano vivo contentam. V. Veteres jam Medici & hactenus ferè singuli distinctionem formant Epilepsiæ in Idiopathicam & Deuteropathicam. Hæc aliud quam Cerebrum aut principium Nervorum agnoscit Subjectum, sed illa non. Resp. Si per illam quis intelligat, cum causa lacessens tangit Meninges, per hanc, cùm aliam quandam partem, poterit stare. Verùm, ceu illi Medici intelligere solent, ut in Idiopathica causam Meninges Cerebri irritantem ibi genitam ponant, in Deuteropathica ab alia parte transmissam causam, sed Epilepsiam non inducentem, nisi ad Meninges priùs pervenerit, & has primariò afficiat, hoc in-

quam

quam ſenſu accipere non poſſumus illam diſtinctionem, ut ex dictis & dicendis patet. VI. Utique variæ partes cauſa ſunt Epilepſiæ, ſed non priùs quàm fomes & cauſa efficiens mediante ſanguinis circulatione cerebro communicata fuerit. Reſp. Aliquando Miaſma quoddam cum ſanguine cerebro communicari inficias non imus, ſed in omni Epilepſia id fieri imò & tum, cum ab alia parte transmittitur cauſa, & per hanc ſolam cōmunicandi rationem contingere, dubitamus. *Gignitur* autem, quod ante brevibus expoſituros nos diximus, Epilepſia, cùm ſub triplici conſiſtentia acre quoddam, (nec quà acidum, nec quà alcalicum) adverſum quoddam pungens, vellicat, laceſſit, lædit in hac vel illa parte membranam nerveam facilè lædi aptam, non aſſuetam, non ſufficienter munitam, ita, ut nervoſum genus inſigniter irritetur, & ſpiritus animales non ſolùm in iſta parte, ſed & in aliis, aliquando pluribus aliquando omnibus inſurgant armati motu iſto vertumnoſo, contractorio, extenſorio, vario concuſſorio inimicum hoſtile abigere, propulſare, ejicere conentur, ipſi ſimul in miras ἀταξίας ſpecies redacti, non ſolùm quà motum ſed & quà texturam ſeu craſin turbati, ut ita quævis, remotæ partis, membrana nervea tales turbas excitare ſoleat, quàm cerebri aut alius partis. Motum autem iſtum externum varium peragunt muſculi horumque potiſſimùm tendines & fibræ, quem motum licet tractio inſtar funis, aut impletio, aut diſtenſio, aut inanitio illarum haud parùm explicent, vix tamen ſufficienter exhauriunt. De Præſide ſeu Directore ſyſtematis Nervoſi circa hoc negotium occupato, doctiſſimè pro more ſcribit Celeberr. *Wepferus, Senior Hiſt. cicut. aquat.*

POSI-

POSITIO III.

Passiones animi sæpè Causa, frequenter Productum, non rarò Remedium morborum, non nunquam Impedimentum curationis sunt.

E Magno ægrotorum numero plures sunt, qui ob passiones animi morbos contrahunt, quam qui ex Diætæ erroribus. Hæ enim non solùm morbos cudunt solæ absque gulæ culpa, sed & non semel absque noxa latens, immaturum, sepultum aut sopitum in corpore vitium ex gula contractum in apricum sistunt, protrahunt, maturant, excitant & in activitatem noxiam deducunt. Impetus, intensio ob objecti vehementiam si accedit dictis pathematibus, ut effrænes in animo cieant tumultus, ut, ceu Quidam loquitur, ebrietatem siccam referant, triplices corporis nostri partes mirè afficiunt. Est Passio, quæ *spiritus* ob exultationem diffundit, dispergit, est, quæ orgastico concitat motu, alia ipsos figit, ligat, prosternit, alas ipsis demit, frænum ipsis injicit: altera inordinato ac fluctuante quatit turbine, est, quæ deprimit, coarctat, à vigore, à serenitate dejicit. Solent haud rarò affectus animi *sanguinem* pari cum spiritibus motuum diversitate agitare, modò stagnatione ac retardatione agglomerare, modò nimis expandere, utrumque ipsius motum variè turbare, consistentiam, crasin, texturam diversimodè immutare, ut aliquando volatilior, spirituosior justo turgeat, aliquando strictiori, aliquando laxiori induatur compage, ut & cæteri succi corporis naturales plurimis turbentur modis, hîc & ibi præfixos transiliant limites. Nec minùs Pathemata in ipsas partes *solidas*, maximas, minimas, internas, externas agunt, variè lædendo, hinc &

 non

non rarò externus vultus mentis detegit interiora, quæ lingua fucatis verbis tegere conatur, & oculorum à verbis dissensus docet, quantum lingua dissonet à mente. In specie si unius vel alius passionis energiam in producendo hoc vel illo morbo enarrare vellemus, nimis excresceret positionis expositio. *Sylvius* p. m. potissimum inter Practicos causarum classi inserit affectus animi, plurimis in locis *Praxeos suæ* specialiter docens, quid valeat, quid agere soleat amor, odium, lætitia, tristitia, spes, desperatio, ira, metus, terror, curæ, sollicitudo, anxietas, invidia, commiseratio, &c. Febres, quæ peregrinos ex nimio Patriæ desiderio invadunt, unde nisi à spirituum & sanguinis à tali pathemate, motu ac mistione turbata. Nec solùm, quod Quidam volunt, Helvetios, sed & aliarum nationum Quosdam torquere Experientia docet. Inverso ordine, per circulum, frequenter, ipsæ Passiones animi, *Productum* morborum sunt. Plurimi enim morbi ad iram, ut & musca (secundùm Germanorum adagium) in pariete disturbet, proclives reddit, alii continuo mœrori subjiciunt, non pauci in curis majorem sollicitudinem, circa varia anxietatem creant. Spiritus enim ferociùs moti, suo vigore sereno, alacri luciditate destituti, dispersi, turbati, sanguis turgens, & intestino, & progressivo motu vehementius justo agitatus, in fluorem propensus, acore p. n. tinctus, minus volucris, stagnans & aliis variis modis immutatus, liquores nativi degenerantes, viscera, glandulæ, aliæve partes, huic vel illi passioni magis subjiciunt, ad hunc vel illum affectum procliviores reddunt, imò ad furoris vel torporis varia genera rapiunt & detrudunt homines. Hinc & iracundiæ, & mœrori, anxietatibus opponendum peti solet Consilium, hinc & Medici felici dexteritate, quotidiana experientia teste, passiones ani-

mi

mi tollunt, non immediatè in ipſas agendo, ſed fluida potiſſimùm corporis noſtri priſtinæ & debitæ reſtituendo craſi, texturæ ac conſiſtentiæ, non neglectis ſolidis, interioribus præſertim partibus. Non raro *Remedii materiam* Medico ſuppeditant Animi Affectus. Ira ſtagnantia fluida movet, &, ut Obſervationes hinc inde loquuntur Medicæ, frigidis calorem, paralyticis vigorem, mutis ſermonem, arthriticis motum reſtituit; nè tamen limites à divina præſcriptas lege tranſiliat, monemus. Terror optimum in ſiſtendo ſanguine, obice ejus nimio fluxui ponendo remedium à Medicis prudenter nonnũquam in auxilium vocatur. Hæmorrhagiam poſt ſanguinem effræni motu ad multas libras jam effuſum ad virium ſummam dejectionem continuantem, nullis remediis internis, externis, revulſionibus variis, cedentem, varia Medicorum conſilia & conamina eludentem, Cardanus repreſſit, ſevero & gravi vultu juvenis illâ decumbentis matri, ut tamen æger audiret, prognoſticon de imminente morte ex rationibus Medicis proponens, & ut mox ſacerdos ad jam jam moribundum advocaretur, monens; ex illo enim terrore & mortis timore ſanguis ad omnem effluxum ineptus, in motu ſufflaminabatur vitaque cum valetudine jam jam abituriens redibat. Confidentia ægri erga Medicum quid in feliciter actuandis medicamentis valeat, quotidie experiuntur Medici. Conſcientiæ ægri tranquillitas plurimum juvat in curandis morbis. Cuivis dolori remedium patientia jure dicitur. Gaudium, Hilaritas ægri decũbentis, cùm re impenſe deſiderata potitur, plus ſæpè prodeſt quam plura Medicamenta, imò ſæpiùs obſervavit Dn. Præſes, in morbis acutis & chronicis per plurimos dies medicamenta ad debitæ Methodi leges præſcripta, absque optato effectu exhibita, morbo ſemper aucto,

 aut

aut in eodem ſtatu manente; ſuperveniente verò ipſi ægro grato, & læto nuncio, advenientibus Amicis, Parentibus, Sponſo aut Sponſa, conceſſo quodam deſiderato, antea denegato, advecto rerum gerendarum Nervo priùs deficiente &c. ſubitò medicamenta felicem effectum ediddiſſe, convaleſcentiam manifeſtis ſe monſtraſſe indiciiis. Nec mirum, ad convaleſcentiam enim, ad adverſam corporis diſpoſitionem mutandam quid valeant ſpiritus, ipſorum indolem & efficaciam, accuratè tàm per Rationem quàm per Experientiam ſcrutantibus patet, qui cum ſanguine intimè nexi partim ipſius pars integrans ad ſui emendationem, ad ipſius & ſuccorum naturalium deſpumationem, ſegregationem, ad homogeneorum domeſticorum conſervationem, auctionem, heterogeneorum ſylveſtrium expulſionem, omni niſu laborioſi contendunt. Hanc in corpore ægro actionem cuicunque adſcribas principio, quò nomine alio illud inſignias, per nos licebit, modò eadem nobiscum intendatur res. Tandem quales obices, quantas *remoras Medico curanti* objiciant Animi Motus in ægris, quotidianas audimus querelas. In ægro mœror nimius, impatientia, diffidentia, inobedientia, pertinacia, philautia, indignatio, ira, invidia, &c. ſpiritus, ſanguinem & ſuccos corporis naturales, dirè & durè turbant, inficiunt, medicamentorum vim infringunt, noxam magis corporibus quàm ſalutem inferunt, dolores magis intendunt, quàm leniunt, & tandem etiam ipſorum Medicorum patientiam lædunt. *Maneat ergò Medicis alta mente repoſtum*, ut omni ſtudio quantum in ipſis eſt conentur cognoſcere, dijudicare, moderari, intra debitos coërcere cancellos & in commodum vertere Medicum animi Paſſiones, tàm in ægris, quàm in ſe ipſis. Arnoldus de Villa nova ſcribit: *Quæ Medicina plus confor-*

tans,

tans, quàm gaudium? quæ plus calefaciens, quàm ira? quæ plus refrigerans, quàm tristitia? quæ plus nutriens, quàm bona spes? quæ plus interficiens, quàm desperatio?

POSITIO IV.

Dysenteria maligna Epidemica, in quibusdam subjectis, incruenta est.

SErpit haud raró, præsertim æstivo & autumnali tempore, morbus gravissimus, fœdissimus, *Dysenteria maligna Epidemica*, (quam sive per exulcerationem, per spasmum, sive per dejectionem describas, per nos licet.) hinc inde, grassatur latè non in castris solùm, sed & in urbibus, non in tentoriis solùm sed & in ædibus, non levem edens stragem. Oritur frequenter ab intenso nimis aëris fervore, succos corporis nativos accendente, colliquante, acuente, fundente, particulas acres à blandis solvente, ut sui juris illæ fiant, è vagina educente: à subita corporis propter externum æstum sudore madentis denudatione, sero fuso transitum per ductulos glandularum subcutanearum quæsitum denegante, hinc in sanguinem denuò refundente, à potu vario, ad sitim à repetita modò causa ortam, fallendam, sæpiùs nimis frigido: à cibo acriore vel sua natura, vel sub corruptione ob subactionem debitam denegatam, acrimoniam contrahente, in fusionem abeunte, qualis cibus præsertim fructus horæi sunt, &c. (qui copiosiùs ingesti non fermentationem, ut ita loqui liceat, perfectivam, ceu cùm in macrocosmo in vinum tendunt, abeunt, sed corruptivã spiritus & humores inficientem,) Aliquando una ex his causis malum istud cudit, (nam multi absque ullis comestis talibus fructibus malo hoc corripiuntur,) aliquando una & altera juncta, velut plerumque autumnali tempore, humores æstivo tempore

 quasi

quasi exusti, fructus copiosi ingesti, & pororum à frigore sensim adveniente occlusio concurrunt. Quæ causæ cum multis, imò quædam omnibus communes sint, communis etiam sequitur lues. Ut ita non semper ad miasma singulare in aëre hærens recurrere opus habeamus. Nec tamen semper miasma illud, nec fomitem, qui aliquando de corpore in corpus malum transfert, omninò exesse jubemus. Comitari solent talem dysenteriam febris maligna, lipothymia, sudores frigidi, maxima virium debilitas, frigus extremorum, cardialgia vehemens, tormina dira, tenesmus intensus, sitis ingens, vigiliæ, singultus, dejectiones mucosæ, aliquando purulentæ, modò sinceræ, modò mixtæ, cruentæ; & hoc ultimum *Plerique Practici* quasi *Pathognomicum* & discretivum ab aliis alvi fluxibus signum ponunt, ut ubi fluxus alvi cruentus abest, abesse & Dysenteriam statuant. Verùm, pace Illorum dicimus, convicti experientia, repetitis observationibus firmata, in subjectis quibusdam modò dictis, malignitatem prodentibus symptomatibus imò aliquando pejoribus, quâm ubi sanguis dejicitur, stipatam dysenteriam, etiam tùm cùm Epidemicè grassatur, esse absque effusione sanguinis, effluere autem tùm albos, flavos, virides, fuscos, variegatos diversos variè tinctos humores. Si quis autem vellet dubitare, an dysenteriæ nomen huic affectui conveniat, origo nominis hoc suadere aut permittere videtur. Dysenteria enim in se dicit difficultatem intestinorum. Quibusdam quidem in genere quamcunque sanguinis dejectionem notat. Sed quid vetat, indigitato fluxui hoc tribuere nomen. Celsus, & Jovianus Pontanus dysenteriam tormina verterunt. Qui verò urgent, recepto loquendi modò vocem hanc soli sanguinis dejectioni tribui, permittent tamen spero, ut dicatur & de illo

fluxu,

fluxu, qui per omnia convenit cum ipſo, excepta cruenta dejectione, effundens tamen ſerum aut ſuccos ſanguinis ſoboles, aut ex ipſo eductos, qui eodem ut dyſenteria maligna modo curatur. Rheumatiſmum torminalem appellat Dieterichius. Solet autem incruenta eſſe ſub tali malignitate, dejectio, *modò*, quia ſerum à particulis ſalinis reſolutis, acribus, ſulphureis, orgaſticis antimonii aut alius vehementis purgantis texturam redolentibus, fermentationem colliquantem inducentibus fuſum propter irritationem, corroſionem, ſauciationem, apertionem, imò conſumptionem membranarum, fibrarum, vaſorum, glandularum in inteſtinis excretum à minimis immixtis per intenſionem corruptionem variè tinctis, flavo, viridi, &c. colore tingitur, veluti & ab antimonialibus, colocynthide & ſimilibus vehementioribus aliquando ſanguinem, aliquando non ſanguinem ſed talibus coloribus variegatum ſerum profluere deprehenditur; Sub tali autem ſero non rarò latent degenerantes ſaliva, chylus, bilis, ſuccus pancreaticus & liquor inteſtinalis; *modò*, quia ſanguis ex arteriolis eductus ante effluxum in pus mutatur. Nam frequenter cum ſanguine pus vel parcius vel copioſius in hoc morbo excernitur. *Quidam Authorum* incruentam etiam faciunt dyſenteriam, cùm mucoſum inteſtinorum velamentum dejicitur, cùm viſcidi humores excernuntur, qui & in inteſtinis copioſiores ſanguinis è vaſis & inteſtinis eductionem impediunt, cùm præſertim tanta ſanguinis agitatio, turbatio, fermẽtum valdè acre corrodens non adeſt. Sed talis tàm periculoſis ac diris ſymptomatibus ſtipata eſſe non ſolet. Nec dyſenteria incruenta dici debet fluxus cœliacus, cum Chylus, cui per lacteos tubulos denegatur tranſitus, vel purus, vel corruptus, vel aliis mixtus excernitur.

Mone-

Monemus ſimul, aliquando per totum morbi decurſum profluvium eſſe incruentum, aliquando per quosdam dies, tempore, quo nonnunquam febris maligna cum ſymptomatibus intenditur, imò & convulſiones interdum accedunt, quæ & tùm ad ſe curationem trahunt; nam rarò primis diebus dyſenteria, frequentiùs febris maligna necat.

POSITIO V.

Volatilia tàm urinoſa, quàm oleoſa etiam externè adhibita panchreſta non ſunt.

UTraq; hîc dicta *Volatilia* frequentiſſimi uſus hodie in Medicina ſunt. Ceu autem illa hodie creberrimè exhibentur à terreſtribus materialibus, minùs activis, aquoſis, fixis & quibus in integris medicamentis implicantur, aliàs & irretiuntur, beneficio docti Vulcani aut Ignis Chymici liberata, ſub Elixirium, Eſſentiarum, Tincturarum, Oleorum, Spirituum, Salium volatilium oleoſorum, lixivioſorum, &c. titulo: Ita jam à Veteribus Medicis integra talia medicamenta, cultrum Chymicum nondum experta valdè frequenter in uſum ducta fuere, quod Diſpenſatoria ſub Tragearum, pulverum compoſitorum, ſpecierum aromaticarum, rotularum, morſulorum, confectionum, &c. rubricis teſtantur; nec Ipſis aquæ ſpirituoſæ incognitæ, imò valdè familiares fuerunt. Nec abſque ratione: Quot enim ſunt morbi, qui natales ſuos debent, vel ſpiritibus animalibus deficientibus, vel ipſorum activitati dejectæ, effœtis viribus, motui peſſundato, ſufflaminato, ſopito, vel vaporibus, halitibus craſſis, flatibus è muco viſcido excitatis, vel ſanguini in quantitate in ſpirituaſcentia deficiente, non in ſubtiliſſimas particulas nobiles illos ac neceſſarios ſpiritus ſublimato, grumoſo, ſtagnanti, vappido

pido vel ſero viſcido lento mucoſo, ſubſiſtenti, vel partibus ſolidis debito calore non perfuſis, quà fibrarum robur debilitatis, laxatis, quà ductuum cavitatem anguſtatis? At in talibus caſibus Methodi lege conveniunt Medicamenta, quæ conſtant ex minimis aromaticis, calidis, penetrantibus, ſpirituoſis, oleoſis, ſulphureis, ſalinis, tenuibus, volatilibus. Magni ergò uſus meritò & multa laude digna ſunt talia; Velut autem utiliſſimorum in hoc mundo maximus eſt abuſus, ita & in Arte Salubri; hinc ex his *polychreſtis* faciunt Quidam *panchreſta*, panaceas, non niſi, in omni morbo, volatilia ſuadentes. Verùm & inter hodiernos celebres Medicos ſunt, qui in doctiſſimis tractatibus limites debitos uſui horum figunt & anguſtioribus cancellis includunt. In caſu ſpecialiori reſtringit *Excellentiſſimus atque Experientiſſimus Dominus*, RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS, *Phyſic. in hac Academia Profeſſor Ordinarius, in Diſputatione Inaugurali Theſ. 3.* Cùm igitur internus eorum uſus quodammodo coërceatur, latiùs tamen extenditur Externus. Hinc in quibusvis deliquiis, ſuffocationibus, convulſionibus, aphoniis, vertigine, apoplexia, imò & levioribus debilitatibus, anxietatibus, compreſſionibus, &c. ſingulis penè morbis, ſemper vertici, temporibus, pulſibus, cervici, cordis ſcrobiculo, umbilico, potiſſimùm verò naribus adhiberi ſolent aquæ ſpirituoſæ variæ, Imperatoris Caroli, Langii, Reginæ Hungariæ, &c. balſama apoplectica, cordialia, elixiria, ſpiritus cephalici, catarrhales, cardiaci, pomambræ, ſalia volatilia oleoſa, ſpiritus urinoſi, aromatici, vel aliæ formulæ continentes volatilia modò oleoſa, modò lixivioſa, modò mixta, nec absque evidenti levamine, cum commodo & refocillatione, re-

fectione ægrorum. At & hæc, ſaltem externè adhibita, in affectibus quibusdam (ut Obſervationes in Praxi quotidiana teſtantur) non proſunt, ſed ſpiritus irritant, diſſipant, reſolvunt, & hinc levia deliquia, vertigines, turbationes capitis inducunt, imò non ſolum talia, artificiosè ex aliis educta, ſed & integra, e. g. macis, gariophylli, cinamomum, ocymum, marnm, flores roſar. liliorum alb. hiacinth. tuberos. Indic. Jaſmin. Hiſpan. &c. Plerumque *cauſa* hæret in ægri ſpirituum teneritudine, aliquando in ipſius fibrillarum membranacearum denudatione, aut muci ipſarum infectione. Teneriores ordinario ſunt ſpiritus vel à cauſis adſcititiis rebus, vel non naturalibus, vel præternaturalibus. Hinc talibus præditi à levi labore ſive corporis ſive animi mox afficiuntur, agitantur, turbantur, ceu autem facillimè hoc contingit, ita & citò reficiuntur tales ac ſe recolligunt: Hinc obſervamus tàm ſpaſmodicos, quàm hyſtericas aliquando non perferre, non ſolùm odore grato prædita, ſedet fœtida, lixirioſa, alia volatiliam partium ſui juris factarum; ſpiritus namque in ſe jam teneriores magis reſolvuntur, diſperguntur, turbantur, conſumuntur, & in talibus caſibus externè magis reficere ſolent acida, aut ſi & hæc lædunt, vinum & ſimilia. Fibrillæ membranaceæ præſertim narium naturaliter perfuſæ ſunt muco, madent ſemper; glutinoſus ille ſuccus ſi deeſt, nudas relinquens fibras, vel acrimonia quadam heterogenea infectus eſt, minima illa volatilium ſpicula diſproportionata fiunt his fibrillis, muci infecti ſpicula adaugent, & hinc magis lædunt qnàm reficiunt. Talibus in caſibus demulcentia proſunt & mitigantia. Liceat occaſione volatilium binis hîc monere, ceu ea, quæ volatilia in igne, in aëre tamen aliquando non ſunt, ita, & dari

ri

ri tenuium partium medicamenta penetrantia in corpus humanum ejusque singulas partes, quæ licet in igne & aêre volatilia non sint, tamen ob illam activitatem volatilis nomen merentur. Non autem favemus illi sententiæ, quæ per irradiationem quædam medicamenta agere dicit, talem irradiationem corporali contactui opponentes. Nos irradiationem per minima corpuscula explicandam dicimus.

POSITIO VI.

Contrafissuræ Existentiam Autopsia sufficienter non probat.

Contrafissura variis insigniri solet nominibus, ἀπήχημα resonitum, trichismum, rimam cœcam appellant, *Hippocrates* ξυμφορὰν vocat, quod vocabulum per Infortunium vertunt. Latè accepta plures sub se comprehendit species. Nos strictè acceptam hîc intelligimus, cum nimirum parte, quæ casum, ictum, contusionem pertulit, non fractâ in opposita parte cranium frangitur cum vasorum ruptione, aliisque cranii fracturas comitari solitis symptomatibus, & interdum effusione sanguinis. De hujus existentia contentionis serram reciprocant *Authores*. *Ægineta* jam suo tempore risu eam excepit. Eam tamen dari, *Plurimi Celeberrimi tàm Veteres quàm Moderni Medici ac Chirurgi* contendunt. *Affirmantes* producunt cucurbitam exsiccatam, vasa vitrea ac testacea, alia parte, quàm qua percussa fuerunt, fissa ac rupta. *Negantes* maximam disparitatem objiciunt, vasa enim illa non esse corpore, quale cerebrum est, repleta, esse longè tenuiora cranio humano, esse continuum quid, cranium verò contiguum, suturis distinctum. Regerunt *Priores* maximam aëris vim in rum-

 pen-

pendis corporibus solidis quotidiè, præsertim hoc tempore Experimentali, machinis pneumaticis, & tormentis bellicis demonstratam, fracturam phialarum aquâ repletarum, corporum concavorum solidorum, crassorum, durorum, in dubium vocantes, an suturæ talem resonitum impedire valeant, concedentes quidem, impedire suturas fracturæ in eodem osse continuationem & protractionem, sed non fissuram in alio osse. *Paraus* inquit: *Ratum illud est, ex Hippocratis authoritate, ratione & experientia confirmatum, alia parte ictum & alia fracturam esse posse: in his præsertim, quibus aut nullæ suturæ erunt, aut illæ admodum arctæ & valido adhæsu adeò consertæ, ut vix appareant.* Cujus Partis rationes præponderent, an per illas detur, aut non detur, nunc non examinabimus. *Autopsiam* per tot Authorum tâm Veterum quàm Recentiorum observationes confirmatam potissimum urgent Affirmantes. Verùm, ceu tantorum Virorum experientias & authoritatem in dubium non vocamus, ita circa tales observationes omnes circumstantias, an verè contra fissura ab ictu in parte opposita facto orta fuerit, probè perpendendas censemus. Damus utique, deprehendi non rarò in diversa & opposita læsionem passæ parte tumorem, carnem corruptam, collectum pus, suturam fissam. At contigit id ex membrana inter suturas versus partem oppositam læsa, rupta, genitum est istud pus, ex sanguine è vasis meningis unius vel alterius ruptæ effuso, unde & separatio, divisio, fissura suturæ facta. Non latet nos, huic instantiæ opponere Quosdam autopsiam sive experientiam, ubi non sola vasa sed ipsum cranium in parte verè opposita ruptum fuit. Verùm nec Horum fidem in dubium vocabimus, attamen potissimùm perpendendum proponimus:

mus: Cùm capitis ictus, contusio fit tanta, ut autopsia postmodum fissuram in parte opposita monstret, fit id à corpore seu instrumento gravi, duro, ab impetu vehementiori, ab immittente seu impellente fortiori, unde rarò imò nunquam erecti manent à tali ictu petiti, sed prosternuntur, procidunt, & oppositam capitis partem allidunt duriori vel pavimento, vel lapidi, vel parieti, &c. Ista allisio tunc (licèt etiam nonnunquam cute integra) rupturæ seu fissuræ in altera parte causa est, non verò ictus primò factus. Nec quis dicere poterit, tale quid in istis Contrafissuræ observationibus non contigisse, nam Medicus aut Chirurgus non adstiterunt actui, nec æger, tùm quia iste de hoc interrogatus non fuit, aut etiamsi interrogatus, quia sensibus mox à tali casu tàm internis quàm externis destitui solet, certum respondere non potuisset. Observationibus de contrafissura post casum ab alto idem, sive de allisione hîc & ibi in via à supernis, sive de circumjectatione in pavimento validè opponere licet. Cum ergò fissura, ruptura, seu fractura in parte opposita ab alia causa quàm casu, ictu, aut contusione facta in parte primùm tacta oriri potuerit, ipsa Contrafissuræ existentiam sufficienter non probat.

POSITIO VII.

Annuli Mercuriales vulgò dicti, non tales, sed Orichalcei sunt.

INter varios, quibus *fugitivo Mercurio* compedes injicere allaborant, modos est, cùm ipsum, additis ærugine, sale communi, in cacabo seu patella ferrea ampla cum aceto vini & aqua seu simplici, seu fabrorum,

jugiter ſtylo ferreo agitando, acetum & aquam ſubinde affundendo, coquunt per aliquod tempus, usque dum illud quod affundebatur, conſumptum fuerit. Scripſit de hac coagulatione *Porta* in Magia Naturali; Alii parum immutant ejus modum: Variant parum quà ingredientia & quasdam Enchireſes; non autem ut productum variet. Compendium Quidam tradunt operationis ex ſolo vitriolo Hungarico in aqua fontana in patella ferrea ſoluto, quod cum Mercurio ebullire faciunt. Mercurius ita coagulatus, ſecundùm Alios fixatus, mollis primùm, ut formis imprimi & adaptari variis valeat, poſt induratur inſtar chalybis indurati. Huic colorem aurum æmulantem imò referentem inducunt, dum ex ipſo & pulvere curcumæ, Tutiæ Alexandr. crudæ vel lapidis calaminaris (in pondere horum aliquantum ſed parum variant) faciunt S. S. S. in crucibulo, quod impoſito operculo, oblutant, igniquè committunt gradatim adaucto, ut tandem prunis penitus obvalletur crucibulum, follisque ope, per horas duas, tres, in △ fortiſſimo detineatur. Aurum colore maſſa iſta refert, è qua varia formari poſſunt, ſolent autem potiſſimum Annuli. Hos ex ea potiſſimum ratione, quod Mercurium fixatum coloratum credant, commendare ſolent, tanquam periaptum utiliſſimum, contra ſanguinis impuritates, acres & mordaces defluxiones ad articulos, Podagram, Chiragram, Scabiem, præcipuè Peſtem. *Caſpar Hoffmannus Viadrinus* tales annulos ex Mercurio ad auri colorem ſophiſticato, Paracelſicos *Magnatibus* obtrudere ceu amuleta contra Epilepſiam ſcribit. Verùm, quando proceſſum hunc non nudis, aut Hypotheſi occœcatis, ſed ratione, Chymicis Experimentis firmata illuminatis oculis ſcrutamur & examinamus,

patet

patet sub illa seu coagulatione seu fixatione (vera & propria fixatio non est) Mercurium arripere cuprum; hinc & sola Ignis vi verum & perfectum cuprum ab illa massa separare licet. Juncta ergò sunt hæc duo Metalla, sed istis fortiori igni submissis avolat pro more Mercurius, relicto cupro, quod cum cadmia junctum fit orichalcum. *Agricola Scriptor Metallicus licèt non modernus, tamen accuratus & multiplici experientia edoctus* ita scribit *de Natura Fossil. libr. 9. p. m. 647. Parva æris optimi fragmenta & cadmiæ fossilis ustæ & molitæ farinam artifices alternatim ponunt in oblongas ollas sex vel octo, quarum singulæ libras plus minus quinquaginta capiunt. Sunt qui ad æs & cadmiam adjiciunt vitrum, ut illud facilius liquescat. Sunt qui in Cadmiæ fossilis locum Cadmiam fornacum substituunt. Ollas autem sic ære & Cadmia repletas in fornaces sub excavata terra concameratas demittunt in ferrea bacilla, quæ in cujusq; fornacis fermè medio sunt: Ignisq; accenditur in brevibus quibusdam quasi cuniculis. Cuiq; verò fornacis parte suprema, quæ modicè extat à solo, rotundum foramen est, & saxeum operculum, quo moderantur ignem. Nam modò totum aperiunt, modò ferè totum claudunt, nunc verò aliquam ejus partem tegunt, prout res hoc postulat. Itaq; cum hæc ad horas octo, vel novem simul in acri △e cocta & liquefacta fuerint, æs, quamquam nondum auri colore videtur tinctum, tamen in orichalcum mutatum multo gravius factum est. Ollas, postquam id ipsum fuerit refrigeratum, ex fornace eximunt, & orichalcum favillæ modò candicans, & pumicis instar cavernulis refertum denuò liquatum infundunt in receptaculum, quod est inter duas latas crustas saxeas medium. Hæ enim crustæ sic committuntur, ut ex orichalco cui jam auri color & splendor est, laminæ crassæ vel tenues effici possint. Quas laminas postea incudi impositas & malleo percussas perficiunt. Quæ ratio orichalci conficiendi vulgaris est. At alii tenues æris bracteas cir-*

citer

citer digitum latas, injiciunt in catinum, in quo argentum liquari solet, ut fundi possit, ejusque exteriorem partem oblinunt argilla, cum qua mista sit ferri squama, interiorem verò melle mundissimo. Similiter singulas æris bracteolas oblinunt melle, eisque inspergunt pulverem subtilissimum, qui sit ex cadmia fossilis, fecis vini siccæ quam tartarum vocant, carbonum tiliæ æquis portionibus. Catinus autem tegitur operculo fictili, cui est foramen, in quod immittitur stilus quo liquefactum æs commovetur. Sed operculum quoque, qua parte cum catino coit, argilla supra dicta oblinitur, catinus autem imponitur in fornacem talem, quali utuntur fabri monetales. Cum igitur cadmia commiscetur cum ære, primò emittitur ruber fumus: deinde partim ruber, partim cæruleus, postremò luteus, qui significat mistionem esse factam, atque tum catinus ex fornace eximitur. Ex orichalca autem varia fiunt opera, sed imprimis pelves, candelabra, lichnuchi, siphones, ea pluris æstimantur, quàm ærea; quod cum æris habeant duriciem, aureo placeant colore. Hæc Agricola.

Hi ergò *annuli* cum constent, non ex ☿io, qui talem ignem non sustinet sed avolat, verùm ex *cupro* (cujus soboles ærugo, viride sive flores æris imò idem cum ipso sunt) juncto cum vel *Tutia*, quæ cadmia factitia est, Botryites dicta, vel *lapide calaminari*, qui cadmia nativa est, non Mercuriales sunt, (quod & pondus deficiens ostendit) hinc Mercurialium medicamentorum viribus destituti, sed *orichalcei*, suppeditantes *exemplum* ad processus & producta per ignem accurato judicio examinanda monens, quod *Veris Chymicis* solenne est, & à jactantibus Chymicorum simiis Ipsos discernit.

DEO T. O. M. sit Laus, Honor & Gloria in seculum seculi.